

⊙ 36. Et tandem animæ Spiritualitas probari potest ex inclinationibus contrariis, quas Homo in se experitur multoties, dum ad virtutem rectâ ratione, ad sceleratas libidines parte sensitiva protrahitur, quæ tam vehementi interdum se prodit impetu, ut cohibere illam impossibile esset homini, si supra corporalem conditionem constitutus non esset, quoad partem istam, quæ sensibus franos injicere valet, Vid. *Roderic. de Arriaga Disp. 1. de an. Sect. 13. n. 326. 327.*

⊙ 37. Ergo Anima Hominis Spiritus est. Contrâ *Burserus* illam materialem esse operosè disputat passim in *Institutionibus*. Et licet in quibusdam locis videri velit, aliam, quàm corporis est, conditionem animæ assignare, hanc tamen orthodoxias personam utique deponit, quando illam *lib. 3. cap. 3.* realiter divisibilem statuit, absurdo absurdum adjiciendo, partes scilicet animæ cum corporis partibus, fortè digito, pede vel manu, defalcatas perinde, ceu corporis partes, interire; & olim Resurrectionis die resuscitandas & superstiri mutilæ toti conjungendas esse pronuncians; quod annon ex absurdorum Arabicorum sententiâ doctum sit, unusquisque haud difficulter judicabit. Sed dico, si partes animæ cum corporis partibus à totâ sejunctæ pereunt, quid vetat, quur non tota anima cum corpore in minutissimas partes simul uno veluti momento dissecta, (quemadmodum istuc catapultis, cataractisve ferratis desuper cum pondere in transeuntes tortis, aut aliis machinis, fieri potest) pereat & intereat unâ cum corpore in mille & plures partes resoluta? Quæri etiam posset ex *Bursero*, quid tum animæ accidat, quum homo bipartitò divisus, velut *Bessus* quondam, occumbit? An anima sic cum corpore secta in duas abeat animas? an verò corpore sic interciso à corpore separetur tota, quæ verior sententia etiam *Bursero* videbitur. Si prius vult, absurdissimus est autor; si posterius, quur animam ad divisionem corporis divisibilem statuit in partes minutas, in partes autem majores non statuit? Quod enim minutatim divisibile est, illud etiam in partes major^{it} dispesci potest; prout illud, quod in octo partes dividitur, ita in duas dividi potest. Præter hæc *Francisc. de Ontov. 1. de an. Punct. 3. n. 21.* ex hac divisibilitate sequi